33.

FEUDALIS

COLLEGII PUBLICI

DISPUTATIO II.


De

FEUDI CONSTITUTIONE,

Quam

JEHOVA

Trinuno clementer annuente,



JCtorum

Amplissima Facultate adsentiente, in Illustri

Witteberga

PRÆSIDE

Consultissimo atq; Excellentissimo Viro

DN. JEREMIA REUSNERO.

J. U. D. Professore Publ. Electoralis Curiæ & Dicasterii ibidem Adsessore, Præceptore, Patrono, ac Promotore suo omni observantiæ cultu jugiter prosequendo,

Examini publico subjicit

FRIDERICUS STURMIUS

COTHENO-ANHALTINUS,

In Auditorio JCtorum

Ad d. 16. Decembris, horis à 7. matut.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ CHRISTIANI THAM Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XXV.



COLLEGII FEUDALIS PUBLICI

DISPUTATIO II.

De

FEUDI CONSTITUTIONE.

DIscussis priori disputatione, quæ super Feudorum & Juris feudalis origine, Autoritate, Definitione ac Divisionibus nonnullisque aliis hisce cognatis dubia atque scrupulosa videbantur, ordinis simul ac naturæ lege sequitur nunc ea, quæ est de *Feudi Constitutione*, disceptatio, quam, ut ordine, quantum fieri potest, procedamus, sequentibus quatuor capitibus inclusam volumus: Et primum quidem præeunte nobis tum Justiniano §. *fin. q. de J. N. G. & C. l. 2. ff. de statu hom. l. 14. ff. de Jure codicill.* tùm FF. commentatorib. fere omnibus erit de *Personis feuda Dantibus & Accipientibus. 2. De Materia seu rebus, in quibus feuda constitui consuevere. 3. De Feudi jam constituti forma, 4. Denique de Feudi constituendi modo.* De quibus omnibus ac singulis sic porrò.

THESIS

I. Personas, antequam attento certo aliquo respectu ab invicem distinguamus, hodie omnes, cujuscunq; ordinis, gradus, sexus, ætatis conditionisq; fuerint, res suas in feudum aliis concedere posse statuimus, modò liberam earum habeant administrationem, nec speciatim reperiantur prohibiti. *pr. per quos fiat investitura. 2. F. 3. Rosenth. tr. feud. c. 3. concl. 2. n. 1. Schneidvv. Epit. feud. part. 3. n. 3. Rittershus. partit. feud. lib. 1. c. 5. quæst. 2.* *Cap. 1. de Personis feuda dantibus.*

II. Jam ut illorum seriem, quibus feuda dare permissum est, primo & accuratius nonnihil percenseamus, Ordinis ratione juxta antiquissimam, ac notissimam personarum in Ecclesiasticas & seculares distinctionem nos primum Ecclesiasticis, interq; illas prin-

cipem locum assignabimus Pontifici, qui juxta Pontificiæ authoritatis assertores tanquam summus Ecclesiarum Monarcha plenariam in iis dispositionem obtinet, *c. cuncta per mundum. 9. q. 3. c. 2. de præbend. in 6. clem. 1. in fin. Ut lit. pend.* adeoq; ex illorum mente non tantum Apostolicæ sedis, verùm omnium omninò Ecclesiarum, quotquot ipsum recognoscunt, bona pro lubitu infeudare potest, ob concursum scilicet cum omni prælatura in potestate ac jurisdictione. *Schrader. p. 4. c. 2. n. 4. Rosenthal. tr. f. c. 4. concl. 17. n. 1. Rittershus. d. lib. 1. c. 5. q. 6. Gothofr. Ant. disp. feud. 2. th. 3 lit. a.*

III. Ista autem Pontificis circa infeudandi jus potestas adeò non est absoluta, ut res quaslibet Ecclesiæ magni momenti pro libidine alienare possit; verùm ad id, ut valida bonorum Ecclesiasticorum majoris momenti in feudum concessio esse possit, Cardinalium adhibere consensum tenetur, quo quasi vinculo quodam, quam diximus, Pontificis potestatem, ne planè esset infinita, juris Feudalis interpretes constrictam volunt. *Dn. Vult. de Feud. lib. 1. c. 3. n. 10. Rosenth. tr. f. c. 4. concl. 7. n. 2. Schneidvv. Epit. feud. part. 3. num. 12.*

IV. Ex prædictis quæstio illa nobis decidenda suboritur. Si Episcopus quidam inferior rem suæ diœceseos cuidam in feudum concessisset, & postmodum Pontifex eandem jure feudi possidendam alii assignasset, Utra jam concessio esset prævalitura? Ubi nos, cum ille, qui prior feudum accepit, jus habeat legitimè quæsitum, quod sibi sine culpa auferri non debet, censemus, quod semel legitimè juvestitum Papa sine causa devestire nequeat adeoque prior concessio prævaleat. *Cum Schneidvv. Ep. feud. p. 3. n. 15. Rosenth. d. tr. c. 4. concl. 17. n 3.*

V. Proximo à Pontifice loco numerantur Primas seu Patriarcha, Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Abbatissa, Præpositus & alii inferiores Clerici, qui omnes, licet in bonis Ecclesiæ non majus, quàm alii alienarum rerum administratores jus habere debere videantur, ac proinde à tali infeudandi jure meritò excluderentur, nihilominus postquam facultatibus ac divitiis ita auctæ fuerunt Ecclesiæ, ut ipsæmet iisdem omnes fermè vincant status, à nullo vin-

lo vincantur, hoc quoq; jure, ut Ecclesiastica bona aliis in feuda darent, uti cæpere; quo jure quave injuria pro tempore lis nostra non est; usurpari saltem dicamus *cum Ulpian. l. 13. in fin. ff. de injuriis & fam. libel. Rittershus. part. feud. lib. 1. c. 5. q. 6. Niell. disp. feud. 2. th. 2. lit. d.*

VI. Possunt autem hoc omnes illi tum demum præstare, si jus illud ac potestatem infeudandi antiquitus habuerint, multò magis verò, si & res infeudari solitæ fuerint. *c. un. Episcopum vel Abbatem. 1. F. 6. Dn. Vultejus. d. c. 3. n. 10. c. 5. n. 14. Schenk. Bar. de his qui feud. dar. poss. n. 1.* Hic non incommodè quæri potest ac solet, 1. quot actus, 2. deinde quantum temporis spatium, seu quot anni requirantur ad id, ut Prælatus infeudandi consuetudinem habuisse, & res infeudari solita dici possit? Ubi, ut cum *Rosenth. c. 4. concl. 29. loquamur*, vastissimi opinionum sunt fluctus, qui ad nubes usq; exæstuant, adeò, ut, quæ ex tam multis & tam discordantibus opinionibus verior, vel saltem probabilior, dignosci vix possit. Nos tamen, cum, id jure definitum non reperiamus, utrumq; illud judicis arbitrio ac discretioni committendum censemus, *cum Fachin. 7. controv. 67. & 68. citante Dn. Vultei. c. 5. n. 14.*

VII. Potest etiam Prælatus, si prædia feudalia feudo operto ad Ecclesiam fuerint reversa, eadem vel mensæ Ecclesiæ incorporare, si qua id exigat necessitas, vel denuò aliis in feudum concedere, etiam non requisito Pontificis vel Capituli consensu. *c. ex parte. 2. extr. de Feudis. Rittersh. c. 5. quæst. 10. Gothofr. Ant. disp. feud. 2. th. 3. lit. g.*

VIII. De quo Prælatorum jure ac potestate, quamvis inter omnes fermè constet, non tamen desunt, qui dubitent, utrum etiam feuda ejusmodi ad Ecclesiam reversa consanguineis suis concedere possit? Et posse id ipsum arguimus *ex c. un. de Investitur. ver. & nov. benefic. in fin. 2. F. 91.* Eamq; sententiam communiorem & plurium receptam calculo testatur *Schneidvv. Ep. feud. p. 3. n. 42. Rittershus. part. f. lib. 1. c. 5. q. 10.*

IX. Hactenus vidimus de Clericis, hos sequuntur Seculares, inter quos primas sibi meritò sumit Imperator Rom. qui quin bona sua patrimonialia aliis in feuda dare possit, tantò minus est du-

bium, quanto magis certum est, id ipsum quemlibet posse privatum. Quod ergo his, cur non & illi debeat esse concessum seu permissum, præsertim, cum inter homines majoris & minoris dignitatis, præterquàm in casibus jure expressis, juris non sit inducenda diversitas. *Schrad.p.4.c.1.n.4.Et Rittershus.c.5.q.15.* proximum sacrilegio esse dicit, de hoc dubitare, siquidem Imperator fons sit omnium dignitatum, à quo & ad quem omnes dignitatum rivuli tanquam è mari & in mare flumina fluant ac refluant: Et cum totius mundi sit Dominus, *l. deprecatio 8. ff. de Lege Rhod. de jactu.* merito & ipse ut quilibet alius rerum suarum moderator esse debet & arbiter. *l. in re mandata. 21. C. mandati.*

X. Quin imo posse quoq; Imperatorem non tantum bona propria, sed etiam fiscalia, seu, quæ ut Imperator possidet, aliis in feuda elargiri nemo dubitat. *argt. l. deprecatio. 8. ff. de leg. Rhod. de jactu. Schrad. tr. f. p.4.c.1.n.7.n.22. Schneidvv. Ep. f. p.3. n. 51. Gothofred. Ant. disp. feud. 2. th. 4. lit. b.*

XI. An vero Imperator ex plenitudine potestatis alicui ex subditis invito sine culpa bona sua possit auferre, & alii in feudum dare, mirè rixantur DD? Angelus *in l. 15 ff. de R.V.* Eum, qui Imperatorem ex plenitudine potestatis id posse negaverit, per gulam mentiri affirmat: Angelum vero ibidem non ut Angelum, sed ut hominem mendacem loqui, respondit *Cravet. Cons. 241. referente Joan. Zabel in Inst. feud. exerc. 3. th. 6. lit. a.* Cum quo nos istam Imperatori potestatem negamus in tantum, ut ne publicæ quidem necessitatis casu, nisi refuso pretio hoc eum non posse credamus. *per tex. 1 Reg. 21. 2. Reg. 9. Ezech, 46. vers. 18. l. 11. ff. de R. J. l. 7. C. de precib. Imperat. off. l. 3. C. de Rescind. Vend. l. venditor. 13. §. 1. ff. commun. prædior. c. un. in pr. de natura feudi 1. F. 7. Bodin. lib. 1. de rep. c. 8. fol. (mihi) 161. Niell. disp. feud. 2. th. 3. lit. d.*

XII. Inter Laicos seu seculares Imperatorem subsequuntur Duces, Marchiones, Comites, qui in territoriis suis tantum posse creduntur, quantum Imperator in Imperio Rom. *Rittershus. partit. feud. c. 5. q. 19.* Quin ergo feuda quoque constituere possint, dubium est nullum. *per text. in cap. 1. de his qui feud. dar. poss. 1. F. 1. c. un. quis dicatur Dux, Marchio. 2. F. 10. item c. un. 1. F. 7.*

XIII. Sic

XIII. Sic quoq; non dubitatur, quin his inferiores puta Barones, Nobiles, & quilibet plebeji, qui liberam bonorum suorum habent administrationem, adeoq; & rustici in bonis suis allodialibus feuda constituere possint. *c. un. per quos fiat investitura. 2. F. 3. c. un. qua dicatur Dux, Marchio. v. qui autem. 2. F. 10. Wesembec. de feud. c. 4. n. 4. Schrader. part. 4. c. 1. n. 57. Schneidvv. Ep. feud. p. 3. n. 69. Dn. Vult. lib. 1. c. 3. n. 14.*

XIV. Quemadmodum in supra posito canone nullam sexus differentiam hoc in passu admisimus, ita fœminas quoque, quæ liberam bonorum suorum habent administrationem, ab hoc infeudandi jure seu potestate non excludimus, sed cum æquè atque mares rerum suarum sint moderatrices, eas non minus atque illos res suas, debito tamen modo, alienare, atque infeudare posse censemus. *pr. de his qui feud. dare poss. c. un. per quos fiat invest. 2. F. 3. vers. fœminam quoq;. Schneidvv. Ep. feud. p. 3. n. 72. Schrader. tr. feud. part. 4. c. 1. 59.* qui tamen ibidem hoc limitat, ut non procedat in fœmina luxuriosè vivente, suaq; bona inconsultò largiendo, dissipante. *arg. l. & mulieri. 15 ff. de Curatorib. fur. &c. dandis.*

XV. A personis, quibus feuda dare Jure permissum est, ad eas quæ feuda dare prohibentur, meritò nos convertimus, quarum duo reperiuntur genera: primum earum est, qui non sunt rei, quam infeudare cupiunt, Domini; Qui, cum plus juris in alium transferre non possint, quam ipsi habent, *l. nemo plus 54. ff. de Reg. J. c. nemo. 79. de R. J. in 6.* ab eo jure meritò removentur. Vid. *Niell. disp. 2. th. 2.* Talesq; sunt servi. *l. 3. in fin. de cap. minutis l. 33. l. 209. de R. J.* item statuliberi. *l. 9. l. 16. l. 29. ff de statuliberis. l. 81. §. 9. ff. de legat. 1.* Item Adscriptitii. *Rosenthal. c. 3. concl. 18. Dn. Vult. lib. 1. c. 3. num. 1.* Quibus etiam adnumeramus Monachum, qui, cum per ingressum in monasterium omnia sua Deo dicaverit, nihilq; de bonis reliquum sibi fecerit, non magis quam servus feudum dare potest. *pr. per quos fiat invest. 2. F. 3. Rosenth. de feud. c. 3. concl. 4. n. 3. Gothofr. Antonii disp. feud. 2. th. 3. sub lit. h. in fin.* *Personæ feuda dare prohibitæ.*

XVI. Huc quoq; referendi omnes rerum alienarum administratores, quales sunt Syndici, Procuratores, Tutores, Curatores, qui omnes bona fidei suæ commissa aliis in feudum dandi potestatem non habent, quamvis in ejusmodi rebus jam constituta

feuda.

feuda iis,quibus data sunt, renovare non prohibeantur. *Sonsbeck p. 6. n. 25. Vult. c.3. n. 2.* Et hoc ipsum procuratorem cum libera citra speciale mandatum expedire posse arbitramur cum *Rosenth. c. 3. concl. 9. n. 5. Schrad. part. 4. c. 1. n. 71. Rittershus. part. feud. lib. 1. c. 5. q. 23. Niell. disp. feud. 2. th. 2.* Illustrium tamen personarum curatores de novo feuda dare posse quidam arguunt *per l. cum plures. §. fin. de admin. tutor. l filius. §. nonnunquam. ff. de donationib. Rosenthal. d. c. 3. conclus. 16.*

XVII. In secundo prohibitorum genere vulgò computantur, qui rerum, quarum quidem sunt domini, liberam tamen non habent administrationem, ut sunt minores 25. annis, qui, sive sint pupilli sive minores in specie sic dicti, cum datis tutoribus vel curatoribus bonorum administratio illis adimatur, ea quoq; infeudare ne quidem consentientibus tutorib. vel curatorib. possunt *arg. l. 1. ff. de reb. eor. qui sub tut. vel cura.* quod tamen de feudo novo constituendo, non item de veteri per investituræ renovationem confirmando intellectum volumus. Renovare siquidem & pupillus potest, si ejus, quod agitur intellectum habeat, ad quod est text *in pr. per quos fiat investitura. 2. F. 3. Rittershus. part. feud. lib. 1. c. 5. q. 2. Schneidw. Ep. f. part. 3. n 77. Gothofr. Anton. disp. 2. th. 5. lit. b.*

XVIII. Minoribus ob rationis paritatem accensentur quoque furiosi, mente capti, prodigi, infantes. & similes, qui perinde atq; illi ob defectum liberæ bonorum administrationis (licet in hoc vel illo alias atque alias causas non excludamus) ab eorum infeudatione prohibentur. *Schrad. tr feud. p. 4. c. 7. n. 62. Rittershus. c. 5. q. 5. Gothofr. Ant. disp. f. 2. th. 5. lit. b. Niell. disp. f. 2. th. 4.*

XIX. Ex prædictorum numero superest mutus & surdus simul. & quidem naturâ, qui etiam de bonis suis aliquem infeudare prohibetur. Secus verò putant DD in eo, qui ex accidenti talis quidem est, intellectum tamen ejus, quòd geritur, habet, quem & novi constituendi & veteris feudi renovandi habere potestatem docent. *arg. l. qui id quod 33. §. mutus. 2. ff. de donat. Sonsb. p. 6. n. 25. Schneidew. p. 3. n. 78. Rosenthal. c. 3. concl. 7. n. 1. Vult. de feud. c. 3. n. 8.*

Personæ feuda acquirentes.

XX. Atque hæc de Personis constituentib. & constituere prohibitis, restat ob mutuam relatorum naturam, ut de acquirentibus & ac-

& acquirere prohibitis paucis videamus: ubi omnes pariter non obstante ulla vel sexus, ætatis, status, ordinis, conditionis aut qualitatis ratione, nisi nominatim reperiantur prohibiti, ad feudi acquisitionem admittimus. *c. un. §. 1. vers. personam. per quos fiat investitu-ra. 2. F. 2. Wesemb. de feud. c. 5. n. 1. Rosenth. c. 3. concl. 2. n. 2. Rittershus. partit. feud. lib. 1. c. 6. q. 1. Gerhost. Anton. disp. 2. th. 5.*

XXI. Ad sexus qualitatem quod attinet, fœminæ haud dubiè omnes, si primævam feudorum inspicere vellemus originem, ab eorum acquisitione penitùs essent arcendæ, siquidem ea ab initio nihil fuerunt aliud, quàm officia magistratuum, mox verò jura belli tantum seu militiæ intuitu constituta, adeoque cum ad ejusmodi munera obeunda fœminæ per naturam suam sexusque fragilitatem & imbecillitatem admodum sint ineptæ & inhabiles, feudorum incapaces meritò fuere. *c. 1. §. hoc autem de his qui feud. dare poss. c. 1. §. filia. de Feud. success. 1. F. 8. c. 1. §. ad filias. de success. frat. & grad. succed. in feud. 2. F. 11. Vult. lib. 1. de feud. c. 4. n. 2.* Idem an pronunciandum de bellicosis illis mulieribus, quales olim fuisse perhibentur Amazones, Camilla Virgiliana, Penthesilea &c. dubium alicui videri posset ex eo, quod ratio potentior, ob quam feuda capere prohibentur, in iisdem cessare videatur? Et quamvis non dubitemus, quin hodieq; sint ac reperiantur fœminæ, quæ animi fortitudine, consiliorum calliditate tantum abest viris ut cedant, ut eosdem sæpe vincant, atque adeo animo viri, corpore tantum sint mulieres; Eas tamen feudorum in capaces arguimus, cum aliæ quoq; prohibitionis sint causæ, quæ locum non minus in bellicosis atque non bellicosis obtinent, quas tamen à talium feudorum acquisitione jure feudali regulariter exclusas & prohibitas esse certum est. *vid. Dn. Vult. d. c. 4. n. 3. Sonsbeck. p. 9. n. 20. Hartman. Pistor. 2. Quæst. 34. n. 3.*

XXII. Sed nostro tempore, ubi non solum ob servitia militaria, verum alias quoq; honestas functiones pacis tempore obeundas feuda dari cœperunt, cessante prohibitionis causa, ipsa quoq; juris feudalis prohibitoria cessat dispositio, nec minus fœminæ quam mares ad feudi novi acquisitionem admittuntur. *c. un. quemadmod. feud. ad filiam pertinc. at 1. F. 24. c. un. de feud. fœm. 2. F. 30.*

B c. un.

c. un. §. filia. de succeß. feud. 1. F. 8. Ab antiqui autem sive paterni feudi successione regulariter excluduntur. *d. §. filia. de succeß. feud. c. 1. §. 3. de his qui feud. dar. poß. VVesemb. de feud. c. 6. n. 2. Rosenthal. de feud. c. 3. concl. 3. Schrad. p. 4. c. 3. n. 7.* Qui ibidem personas quocunq; modo inhabiles feudi novi capaces esse asserit, modo Dominus conditionis ejusmodi personarũ non sit ignarus; secus verò si Dominus talem personam de feudo investivisset ignorans, quo casu in præjudicium Domini investitura valida non est. *d. n. 7.*

XXIII. Quemadmodum sexus, ita ætatis quoq; nullum in acquirente discrimen agnoscimus. *per text. c. un. §. 1. vers. fœminam. per quos fiat investit. 2. F. 3.* adeò, ut etiam infantem per tutorem suum feudum acquirere posse censeamus. *arg. l. si infanti 18. C. de jure deliberandi.* Eundemq; si patris adhuc subjectus sit potestati, idipsum per patrem posse. *arg. ejusdem. l. 18.* quamvis pubertati proximus non sit, idq; ob paritatem rationis, *arg. § pupillus. 9. J. de inutil. stipulat. l. pupillus. 9. ff. de acquirenda hæreditate.*

XXIV. Pubertati verò proximus, itemq; pubes quin adhibitis in consilium tutoribus vel curatoribus feuda possint acquirere, dubium est nullum; sed an sine illorum authoritate & consensu id possint, controvertitur? Et posse id eos, communior est opinio, nobisq; pro tempore probabilis: cum enim feuda sint beneficia, *c. un. in quib. caus. feud. amittatur. 2. F. 23.* quorum acceptione conditionem suam nemo facit deteriorem, adeoq; hoc casu cesset periculum, cujus metu jus impuberum temeritati atq; imbecillitati de tutoribus & curatoribus providit, meritò itaq; & ipsa cessare debet juris provisio. *vid. Rosenth. de feud. c. 3. concl. 8. VVesemb de feud c. 5. n. 5. Schneidvv. Ep. feud. part. 3. n. 102. Niell. disp. feud. 2. th. 5. lit. b.*

XXV. Status conditione neminem à feudi acquisitione, præsertim non eos, qui sui sunt juris, excludi, manifesti est juris: De iis qui alieno juri sunt subjecti, quales sunt servi, filiifam res est aliquantò intricatior; Quod servos attinet, illos feuda rectè accipere posse, non quidem quatenus tales, sed quatenus libertatem vel tacite vel expreßè una consequuntur, aut quatenus eorum Domini feudorum sunt capaces, probat sæpius jam allegat. *text. in c. un. per*

quos

quos fiat invest. vers. personam. 2. F. 3. Quod si servus proprius bona à Domino suo in feudum accipiat, nulla libertatis facta mentione ex præsumta Domini concedentis mente una libertatem quoq; accepisse videtur. *arg. princ. J. de hered. Instit. §. servus autem. 1. J. eod. Rosenth. de feud. cap. 3 concl. 6. Dn. Vultejus c. 4. n 7.*

XXVI. Servus verò alienus si feudum à quodam acceperit, utrum valida, an non sit infeudatio, distinguendi sunt casus: Aut enim infeudatur à conditionis ejus ignaro, & tunc nulla sive invalida est infeudatio: Aut à sciente illum servum esse, & tunc subsistit infeudatio, teste *Rosenthal. c. 3. concl. 6. Vult. c. 4. n. 7.* Sed utri hoc casu feudum acquiratur, servo an ejus Domino, disceptatur? Quidam hic servo ejusq; liberis feudum acquiri, aut his non existentibus ad Dominum concedentem id reverti existimant. Nos distinctione rem expediri posse censemus. Aut enim servus alienus, non Domini sed suæ ipsius personæ contemplatione de feudo aliquo investitur, idq; sciente & connivente Domino: & hoc casu feudum simulq; etiam libertatem consequitur. *arg. l. super servu, 6. vers. sin verò scientib. hu militaverint. C. qui militare possint.* Aut investitur vel Domino inscio, vel sciente quidem, sed tamen contradicente, vel deniq; Domini ipsius contemplatione, & omnibus hisce casibus servo in statu suo permanente Domino per eundem feudum acquiritur. In dubio autem Domini potius quam servi intuitu feudum datum censetur, ideoq; & in dubio eidem acquiretur. *Rosenthal. d. c. 3. concl. 6.*

XXVII. In multis juris nostri articulis potiori jure filiifam. quàm servi utuntur, meliorq; eorum quàm horum existit conditio, adeoq; cum rationes quoq;, quæ servos ex sua persona à feudi acquisitione excludunt, in his deficiant, siquidem juris civilis sunt participes, obeundisq; muneribus militaribus apti, itemq; bona sibi propria habere & possidere possunt, *t. t. J. per quas personas cuiq. acquiratur*, quin feuda illis constitui possint, nulla est dubitatio, *Vult. d. c. 4. n. 8. Borcholt. tr. feud. c. 5. n. 46. Schneidvv. Epit. feud. p. 5. n. 98. vers. tertiò filiusfam. VVesembec. de feud. c. 5. n. 4. Rittershus. partit. feud. lib. 1. c. 6. quæst. 7.*

XXVIII. Non involvimus hic silentio controversiam satis nobilem, utrum filio de feudo aliquo investito ususfructus ejusdem patri acquiratur? Quod perplures rationibus subnixi non contemnendis hactenus affirmarunt, quos sequitur & allegat *Niell. disp. feud. 2. th. 5. lit. d.* Nobis pro tempore probabilior, juriqúe feudali convenientior negantium videtur opinio, *arg. c. 3. in quib. caus. feud. amittatur. vers. hujus autem beneficii &c. 2. F. 23. auth. Excipitur. C. de bonis quae liberis. Schrad. tract. feud. part. 7. c. 6. n. 4. & seqq. Schneidvv. Ep. feud. p. 3. n. 89. Gothofred. Anton. disp. feud. 2. th. 6. lit. c.*

XXIX. Ordinis conditio inter acquirentium personas nullam planè inducit discrepantiam, imò superiorem etiam ab inferiore feudum accipere posse nihil est absurdi, siquidem cum Imperator Rom. tum Pontifex quoque à quibusvis aliis inferioribus feuda possunt recognoscere. quo tamen casu non ipsi, sed per substitutum tum fidelitatem jurant, tum servitia exhiberi curant. Multò magis ergò inferiores Principes, Duces, Marchiones, Comites, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Prælati, & reliquæ personæ Ecclesiasticæ feuda accipere ab inferioribus poterunt. *c. 1. §. fin. de Capit. Conradi. 2. F. 40. c. ex transmissa extr. de foro competenti. Schrader. p. 4. c. 3. n. 10. Vult. c. 4. n. 9.*

XXX. Monachus, qui se non tantùm, sed omnia quoq; sua monasterio devovit, feudum quidem accipere non prohibetur, si tamen accipiat, non sibi, sed monasterio, si illud capax sit ejusdem, acquirit; ipse enim ex sua persona non magis quàm servus feudi capax esse potest. *Rosenth. Synops. feud. c. 3. concl. 4. n. 12. Rittershus. partit. feud. lib. 1. c. 6. quæst. 6.*

XXXI. Ob generalitatem supra positi canonis, qui non nisi nominatim prohibitos ab acquisitione feudi excludit, acquirentium numero aggregamus quoque rusticos, aliosque quoslibet plebeios, quippe qui nullibi à regula reperiuntur excepti. *Schneidvv. Ep. feud. part. 3. n. 98. Vult. lib. 1. c. 4. n. 1.* Illi autem de feudo investiti an nobilitatem simul consequuti esse intelligantur, quæri solet? Nos illud à concedentis Persona & Voluntate dependere putamus, ita ut, si comedens & potuerit & voluerit eos nobilitare, eamq; voluntas-

luntatem in investitura declaraverit, dubium de eo sit nullum: Sin minus, feudum potius nobile datum præsumimus, si datum sit à tali, qui nobilitandi habuerit potestatem. Et præsumtio ista tantò erit fortior, si Vasallus longam annorum seriem numerare possit, quâ feudum onusque militiæ eidem annexum in familia sua resederit. *Neid disp. feud. 1. th 7. lit. c. item. Vult. lib. 1. c. 4. n. 10.*

XXXII. Tandem personæ omnes, cujuscunque sint qualitatis, tàm sani quàm imbecilles, vel quolibet modo imperfectæ, & ad servitia militaria præstanda inhabiles, feuda sibi acquirere possunt, in quarum numero sunt mutus, surdus, cæcus, furiosus, mente captus, prodigus & similes. *VVesembec. de feud. c. 5. n. 6. Rosenth. syn. feud. c. 3. concl. 8. Schrad. tr. feud. p. 4. c. 3. n. 7. Gothofr. Anton. disp. f. 2. th. 6. lit. e.* Ubi tamen in furioso & mente capto idem quod in infante observandum monet, ut scilicet, cùm æque ac infantes omni judicii, rectæque rationis usu destituantur, eorum nomine curatores feuda accipiant. *arg. l. 5. de R. J.* Cùm verò personæ ejusmodi servitia per se præstare nequeant, & Dominus conditionis eorundem ignarus non fuerit, ille cum imperfectione eorum dispensasse, iisque per tertium servitia feudi nomine præstandi copiam fecisse præsumitur.

XXXIII. Atq; sic omnes, cujuscunq; sint conditionis, feudorũ acquirẽdorũ capaces arguimus, idq; ipsos non modo per se, sed & per procuratores præstare posse censemus, *c. un. per quos fiat invest. tura. 2. f. 2.* sive is speciale ad hoc mandatum, sive liberam universorum bonorum administrationem habuerit. *Schneidvv. Ep. f. p. 3. n. 107.*

XXXIV. A feudi tamen acquisitione prohibitos præter Hæreticos, Apostatas, Excommunicatos ex communicatione majori, proscriptos seu bannitos Imperii, reos criminis læsæ majestatis, Usurarios, aliosq; infames, alios ferè non reperimus, cum quibus hominibus ut omni nobis commercio atque conversatione est interdictum, sic, & multò magis beneficia iisdem conferre, eosque ceu fideles nobis adsciscere erimus prohibiti. *arg. l. 4. C. de hæreticis. l. hi qui sanctam. C. de Apostatis. vid. l. 2. C. de dignitatibus. Rosenth de feud. c. 3. concl. 19. & 23. Vultej. c. 4. n. 12. Gothofr. Ant. disp. f. 2. th 6. lit. f.* An verò etiam spurii? Distinguamus. *l. 3. §. 2. l. 6. de Decurionibus*

Personæ feuda acquirere prohibitæ.

rionibus. L. imperialis 23. C. de nuptiis. c. nunquam c. Apostolica & seq. distinct. 56.

Cap. 2. de materia seu rebus, in quibus feuda constituuntur.

XXXV. Vidimus hactenus de personis tum constituentibus tum acquirentibus, ad res porro, in quibus feuda constitui possunt, ac solent, tanquam objectum proximum nos convertamus ordinis ratio requirit: Ubi primum generaliter concludimus, Res omnes, quæ in commercio hominum esse possunt, nec ratione aliqua alienari prohibentur, quarumq; natura non repugnet, in feudum posse concedi. *c. un. per quos fiat investitura. §. 1. 2. F. 3. Vultejus. de feud. c. 5. n. 3.*

XXXVI. Sive eæ Ecclesiasticæ sint sive seculares: Ecclesiasticæ tamen si sint, eæ non nisi qua supra *th. 6. & 7.* dictum ratione alienari atque in feuda concedi possunt. Si itaque conferens infeudandi Jus ac consuetudinem antiquitus habuerit, poterit res quaslibet Ecclesiæ, licet infeudari solitæ non sint, (titulis tamen decimis & primitiis acceptis) etiam de novo, si vel necessitatis vel utilitatis evidens subsit ratio, infeudare. *c. un. Ep. vel Abb. . F. 6. in pr. de bu, qui feud. dare poss. c 2. Extr. de feud.*

XXXVII. Res verò seculares, quæ infeudari possunt, non unius sunt generis, quare ut distinctius nonnihil in earum pertractatione procedamus, eas dispescimus in corporales & in incorporales, illasque subdistinguimus in immobiles & mobiles aut se moventes: Immobiles rursum sunt vel soli vel solo cohærentes.

XXXVIII. Res soli puta fundum, castrum, territorium &c. licite in feudum dari posse non est ambigendum. *propter c. un. de feudi cognit. 2. F 1. c. un. ex quibus causis feud. amittatur, 2. F. 24.* Quin imò & hoc, quod fundo quodam in feudum concesso ea quoque quæ perpetui usus causa in eodem sunt, concessa intelligantur, adstruimus *arg. l. fundi. 17. §. Labeo generaliter scribit. ff. de act. Emt. Vult. c. 5. n. 4.*

XXXIX. Solo cohærent fructus pendentes *l. fructus 44. ff. de R ei Vind.* item Ædificia & generaliter superficies. De fructibus

ctibus non incommodè quæritur, Utrum per se & principaliter absque fundo, cui cohærent, infeudari possint? Quod licèt plurimi sint, qui negent, à quorum partibus est *Niell. disp. feud. 3. th. 1.* Nos tamen ob textus evidentiam *in c. un. de feud. cognit. 2. F. 1.* illud affirmandum ducimus, dummodo tales sint fructus, qui singulis annis renascantur. *Rosenth. c. 4. concl. 2. n. 2.*

XL. Ædificia quoque non modo cum fundo verùm etiam sine eo & per se in feudum dari possunt, quibus concessis omnia etiam iisdem adfixa *l. Julianus. 13. §. fin. cum l. seq. ff. de Act. Emt.* vel perpetuò eorundem usui deservientia, utpote seræ, claves, claustra. *l. fundi. 17. in pr. & §. labeo. 7. ff. eod. tit.* itemq; servitutes ædibus beneficiatis debitæ. *l. si aquaductus 47. ff. de contrah. Emt.* in feudum cöncessa intelliguntur. *Schrad. tr. f. p. 3. c. 4. n. 2. 3. 4.*

XLI. Sic molendina prædio in feudum dato data simul præsumuntur. *Schrad. p. 3. c. 4. n. 34.* modo tamen diversa eorum genera à se invicem secernantur. Alia namque solo ita cohærent, stipitibus in terram defossis subnixa, ut moveri loco non possint, de quibus non tantùm id, quod modò diximus, verum, sed etiam quod sine prædio infeudari possint, certum est. *Rosenth. c. 4. concl. 4. Rittershus. partit. feud. lib. 1. c. 7. quæst. 5. Gothofred. Anton. disp. feud. 3. th. 4. Niell. disp. f. 3. th. 1.*

XLII. Secus se res habet in iis, quæ navium instar aquis innatant, vulgò Schiffmühlen appellata, quæ cùm mobilium loco habeantur, *arg. l. 1. §. si quis de nave. 7. ff. de vi & vi armat.* in feudum dari non possunt. *Rosenth. c. 4. concl. 4. n. 2. Gothofred. Anton. disp 3. th. 4. lit. f.* Si tamen Dominus tali molendino certum quoddam Jus acquisivisset, ut videlicet frumentum suum vicini eo molendum deferre cogerentur (quale molendinum vulgò bannale nominant, eine Zwangmühlen) illud, siquidem instar rei immobilis hoc casu habetur, cum jure isthoc infeudari posse censemus. *Rosenth. d. c. 4. concl. 4.*

XLIII. Huc

XLIII. Huc quoque pertinent sylvæ, stagna, lacus, fluvii: quæ similiter in feudum concedi possunt. *per l.10. §. sed et si. 3. ff. Quib. mod. ususfructus amitt.* An verò sylva quadam, fluvio aut stagno in feudum concessis simul quoque Jus venandi, piscandi &c. concessum intelligatur. Quod de sylva, nisi Jus illud venandi vel sylvæ vel prædio expressè sit constitutum, ita, ut eidem tanquam Jus reale adhæreat, negamus. Cum *Schradero part. 3. c. 4. n. 47.* De fluviis & stagnis, cum pisces quoque aquæ fructus non sint, nec piscationis Jus stagno vel fluvio cohæreat, quin imò ab eodem separatum nostris potissimum moribus deprehendatur, adeò, ut ipsum Jus piscandi per se & principaliter in feudum dari possit; idem Jure esse opinamur. *Vid. Wesemb. de feud. c. 7. n. 6.*

XLIV. Res mobiles aut se moventes, repugnante earum natura, infeudari nequeunt, & illud ne mediante quidem cautione, sub qua ejusmodi rerum quasi usufructus constitui solet, *Rosenth. c. 4. concl. 7. Schrader. part. 3. c. 1. n. 15. Rittershus. partit. f. lib. 1. c. 7. § 3. Schneidw. Ep. feud. part. 2. n. 16. Niell. disp. f. 3. th. 3.*

XLV. Sic in pecunia, ut re mobili, regulariter feudum non consistit: Et hinc etiam pecunia ex feudo vendito coacta loco rei esse non potest, nec feudalis est, sed allodialis. *§. si Vasallus. 2. F. 26.* adeoque non ad feudi sed allodii heredes pertinebit, Nisi forsan a principe eidem pecuniæ feudi natura sit tributa, ut illud in terris Saxonicis peculiariter ab Electore Augusto *part. 3. const. 20.* reperimus sancitum, adde *Dan. Moller. ad d. const. 30. Berlich. part. 3. concl. 41. per tot.*

XLVI. Si tamen certa pecuniæ summa è fundo vel ærario principis alicui quotannis solvenda constituatur, haud dubie feudi assumet naturam, quemadmodum accidere videmus in feudis Soldatæ, Cameræ ac similibus.

XLVII. Res incorporales, utpote quæ inter immobilia computantur, licite quoque in feudum conceduntur. *c. un. vers. feudum. 2. F. 1.* Earum verò nomine jura potissimùm veniunt, cujusmodi sunt annuæ pensiones seu præstationes, servitutes, Jura venandi, aucupandi, piscandi, cædendi ligna, & lapides, item Jurisdictio, quam quidem territorio magis & castro, quàm personæ

cohæret

cohærere statuit *WVesemb. in parat. ff. de Jurudict. n. 10. & alii* Quorum tamen sententiam, cùm non ex multitudine auctorum, quid melius æquiusq; statuendum sit, *l. 1. §. 6. C. de Veteri Jure enucleand.* pro tempore approbare non possumus, adeoq; si territorium vel castrum alicui simpliciter sit concessum, jurisdictionem unà concessam non putamus, *cum Covarr practic. Quæst. c. 1. n. 9. Vult. c. 5. n. 5. §. huc autem. Schrad. part 3. c. 4. n. 22. Rosenthal. c. 5. concl. 6. n. 5.*

XLVIII. Si tamen castrum quoddam vel non facta jurisdictionis mentione, quæ tamen eidem cohæreat, vel facta ejusdem mentione, quæ ei non cohæreat, concedatur, utroq; illo casu, cum imperium mixtum jurisdictioni cohæreat, *l. quæcunq; ff. de offic. ejus cui mandat. est jurisdictio.* & vicissim imperio insit jurisdictio. *l. imperium 3. ff. de jurisdictione.* & jurisdictio sine modica coercitione nulla sit, *l. mandatam. fin. ff. de offic. ejus. &c.* Illud ipsum mixtum scilicet imperium, ne jurisdictio reddatur elusoria, in Vasallum simul transferri arbitramur, cum aliàs concessa jurisdictione ea quoq; intelligantur concessa, sine quibus ea explicari nequit. *l. 2. ff. de jurisdictione.*

LXIX. Merum autem imperium, quod iis casibus transferri quoq; plurimi affirmant, concedi non credimus, textuū moti evidentia & unanimi consensu. *l. quæcunq; 1. ff. de officio ejus. vers. & si à familiâ. item §. qui mandatam. ibi quare nemo dicit. l. mandatam d. t.* Cum enim ad hoc ut merum imperium alicui competat, specialis requiratur concessio, generali confessione idipsum translatum videri non potest. *c. in generali de R. J. in 6. c. licet 2. de officio vicarii in 6. l. obligatione 6. ff. de pignoribus. l. 15. §. hoc Edictum. 26. ff. de injuriis & famos. libellis.*

L. Quod si cum omnimoda jurisdictione castrum seu territorium alicui fuerit concessum, & merum imperium unà concessum esse, communiter statuunt *per l. fin alia. 7. §. fin. ff. de offic. proconsf. Schneidew. Ep. f. part. 2. n. 91.*

LI. Sic etiam, si princeps feudum quoddam, puta castrum vel territorium, Cajo simpliciter & absolutè non facta jurisdictionis mentione, eodē jure, quo Titius illud ipsum possederit, in allermassen/wie es der jenige gehabt und gebraucht/ utendum fru-

endum

XLIII. Huc quoque pertinent ſylvæ ſtagna, lacus, fluvii: quæ ſimiliter in feudum concedi poſſunt. *per l. 10. §. ſed etſi. 3. ff. Quib. mod. uſusfructus amitt.* An verò ſylva quadam, fluvio aut ſtagno in feudum conceſſis ſimul quoque Jus venandi, piſcandi &c. conceſſum intelligatur. Quod de ſylva, niſi Jus illud venandi vel ſylvæ vel prædio expreſsè ſit conſtitutum, ita, ut eidem tanquam Jus reale adhæreat, negamus. Cum *Schradero part. 3. c. 4. n. 47.* De fluviis & ſtagnis, cum piſces quoque aquæ fructus non ſint, nec piſcationis Jus ſtagno vel fluvio cohæreat, quin imò ab eodem ſeparatum noſtris potiſſimum moribus deprehendatur, adeò, ut ipſum Jus piſcandi per ſe & principaliter in feudum dari poſſit, idem Juris eſſe opinamur. *Vid. Wezemb. de feud. c. 7. n. 6.*

XLIV. Res mobiles aut ſe moventes, repugnante earum natura, infeudari nequeunt, & illud ne mediante quidem cautione, ſub qua ejuſmodi rerum quaſi uſufructus conſtitui ſolet, *Roſenth. c. 4. concl. 7. Schrader. part. 3. c. 1. n. 15. Rittershuſ. partit. f. lib. 1. c. 7. q. 3. Schneidw. Ep. feud. part. 2. n. 16. Niell. diſp. f. 3. th. 3.*

XLV. Sic in pecunia, ut re mobili, regulariter feudum non conſiſtit: Et hinc etiam pecunia ex feudo vendito coacta loco rei eſſe non poteſt, nec feudalis eſt, ſed allodialis. *§. ſi Vaſallus. 2. F. 26.* adeoque non ad feudi ſed allodii heredes pertinebit, Niſi fortè à principe eidem pecuniæ feudi natura ſit tributa, ut illud in terris Saxonicis peculiariter ab Electore Auguſto *part. 3. conſt. 20.* reperimus ſancitum, adde *Dan. Moler. ad. d. conſt. 30. Berlich. part. 3 concl. 41. per tot.*

XLVI. Si tamen certa pecuniæ ſumma è fundo vel ærario principis alicui quotannis ſolvenda conſtituatur, haud dubiè feudi aſſumet naturam, quemadmodum accidere videmus in feudo Soldatæ, Camera ac ſimilibus.

XLVII. Res incorporales, utpote quæ inter immobilia computantur, licitè quoque in feudum conceduntur. *c. un. verſ. ſciendum. 2. F. 1.* Earum verò nomine jura potiſſimùm veniunt, cujuſmodi ſunt annuæ penſiones ſeu præſtationes, ſervitutes, Jura venandi, aucupandi, piſcandi, cædendi ligna, & lapides, item Jurisdictio, quam quidem territorio magis & caſtro, quàm perſonæ

cohærere

cohærere statuit *VVesemb. in parat. ff. de Jurisdict. n. 10. & alii.* Quorum tamen sententiam, cùm non ex multitudine auctorum, quid melius æquiusq; statuendum sit, *l. 1. §. 6. C. de Veteri Jure enucleand.* pro tempore approbare non possumus, adeoq; si territorium vel castrum alicui simpliciter sit concessum, jurisdictionem unà concessam non putamus, *cum Covarr practic. Quæst. c. 1. n. 9. Vult. c. 5. n. 5. §. huc adde m. Schrad. part 3. c. 4. n. 22. Rosenthal. c. 5. concl. 6. n. 5.*

XLVIII. Si tamen castrum quoddam vel non facta jurisdictionis mentione, quæ tamen eidem cohæreat, vel facta ejusdem mentione, quæ ei non cohæreat, concedatur, utroq; illo casu, cum imperium mixtum jurisdictioni cohæreat, *l. quæcunq; ff. de offic. ejus cui mandat. est jurisdictio.* & vicissim imperio insit jurisdictio. *l. imperium 3. ff. de jurisdictione.* & jurisdictio sine modica coercitione nulla sit, *l. mandatam. fin. ff. de offic. ejus. &c.* Illud ipsum mixtum scilicet imperium, ne jurisdictio reddatur elusoria, in Vasallum simul transferri arbitramur, cum aliàs concessa jurisdictione ea quoq; intelligantur concessa, sine quibus ea explicari nequit. *l. 2. ff. de jurisdictione.*

LXIX. Merum autem imperium, quod iis casibus transferri quoq; plurimi affirmant, concedi non credimus, textuū moti evidentia & unanimi consensu. *l. quæcunq; 1. ff. de officio ejus. vers. & si à familiâ. item §. qui mandatam. ibi quare nemo dicit. l. mandatam d. t.* Cum enim ad hoc ut merum imperium alicui competat, specialis requiratur concessio, generali confessione idipsum translatum videri non potest. *c. in generali de R J in 6. c. licet 2. de officio vicarii in 6. l. obligatione 6. ff. de pignoribus. l. 15. §. hoc Edictum. 26. ff. de injuriis & famos. libellis.*

L. Quod si cum omnimoda jurisdictione castrum seu territorium alicui fuerit concessum, & merum imperium unà concessum esse, communiter statuunt *per l. si in alia. 7. §. fin. ff. de offic. proconsf. Schneidw. Ep. f. part. 2. n. 91.*

LI. Sic etiam, si princeps feudum quoddam, puta castrum vel territorium, Cajo simpliciter & absolutè non facta jurisdictionis mentione, eodē jure, quo Titius illud ipsum possederit, in allermassen/wie es der jenige gehabt vnd gebraucht/ utendum fru-

C endum

endum concessisset, merum quoq; imperium quod Titius habuit, concessum intelligitur. *arg. l. 18. § quidam. 13. ff. de instructo vel instrumento legato.*

LII. Ad hanc porrò classem pertinent etiam Regalia, quæ germanis per verbum **Herrligkeiten oder Hoheiten** designantur, sic dicta à Rege, quem in textibus feudalibus imperatorem interpretamur, quæ sunt jura soli imperatori, cuiq; imperator vel tacitè vel expresse ea concessit, insignũ præeminentiæ ad imperii dignitatem & utilitatem conservandam competentia. *Gothofred. Anton. disp. 3. th. 6. lit. b. Rosenthal. c. 5. concl. 2.*

LIII. Regalia cum communi DD. schola distinguimus in majora & minora: Et majora nuncupamus ea, quæ supremam imperatoris præeminentiam & authoritatem monstrant. *Vult. 1. de feud. c. 5. n. 7. Gothofred. Anton. disp. 3. th. 6. lit. c.*

LIV. Talia sunt regales dignitates & feuda majora, puta Ducatus, Marchionatus, Landgravionatus, Comitatus, Baronatus conferre, Nobilitatem concedere, spurios legitimare, ætatis veniam largiri, scholas publicas seu Academias condere privilegiisq; munire, Comites Palatinos, Doctores, Magistros, Tabelliones, creare, laurea poetica donare, & similia, quæ personæ Imperatoris honorem potius quàm Imperii respiciunt. *Gothofred. Anton. d. disp. f. 3. th. 5.*

LV. Minora regalia ad rem fisci potissimum spectant, unde & jura fisci quibusdam appellantur, referunturq; *in c. un. quæ sunt regalia. 2. F. 56. 1.* Armandiæ i. e. jus armamentariorum publicorum, **Zeughäuser** / & bellum indicendi. 2. Viæ publicæ, **Heerstrassen** vel **freye Reichsstrassen**. 3. Flumina navigabilia & ex quibus fiunt navigabilia. 4. Portus, hoc est, tam locus ipse, quam pecunia inde à navigantibus præstanda. 5. Ripatica. 6. Vestigalia & telonia. 7. Jus monetæ cudendæ. 8 Multarum pœnarumq; compendia. 9. Jus bonorum indignis ablatorum & vacantium item incestum committentium, damnatorum, proscriptorum, & majestatis reorum.

LVI. Item Angariæ & parangariæ, per quas intelligenda sunt munera patrimonialia, armorum aliarumve rerum transferendarum usibus præstanda, illæ, qua cursus publicus est dispositus, da

die

die Post geht/hæ verò aliò versum, quo plaustrorum, navium & jumentorum præstationes pertinent. *Borcholt. c. un. quæ sunt regal. n. 54.* Item collatio extraordinaria, quæ super indictum vocatur. Jus magistratuum constituendorum: Argentariæ seu auri & argenti fodinæ: Palatia seu jus inhabitandi domus regias: Piscationum & salinarum reditus &c. de quibus omnibus, cum pleniorem uberioremq; eorum tractatio nem instituti non admittat ratio, præter feudistas *in. c. un. quæ sunt regalia.* videndus *Marc. Anton. peregr. in tr. de privileg. Fisci. Frid. Pruckman & Sixtinus de Regalibus. Niell. disp. feud. ultim. Gothofred. Anton. disp. feud. 3.*

LVII. Expedita rerum, in quibus feuda constituuntur, tractatione, proxima sese offert consideratio formæ, quippe per quam res talis, hoc est, feudalis existit & nominatur. Consistit autem feudi constituti forma in fidelitate seu fide, eaq; non sola seu nuda, verum tali, quæ usurfructui feudali cohæreat? siquidem aliàs fides cum plurimis aliis contractibus feudo communis esset futura. Fidei verò acceptio in usu juris multiplex est ac varia, teste *Dn. Vult. c. 6. n. 2.* *Cap. 3. de feudi constituti forma.*

LVIII. Modò enim accipitur pro juramento, quo quis fidelitatem promittit Domino, *ut in c. 1. quid præcedere debeat. & c. 1. §. est & alia, quæ fuit prima causa beneficii amitt. c. un de forma fidel. c. un. de nova forma fidel.* Modò pro ipsa re, hoc est, fide, quam Domino suo sub juramento se præstiturum quis pollicetur, ut *in §. fin. & in rubr. ac nigr. Qualiter Vasallus domino fidelitatem debeat jurare. 2. F. 5. & in c. un. de form. fidel.*

LIX. Atq; ejus fidei seu fidelitatis rursum tres reperiuntur species: Alia namq; vocatur Domesticitatis, seu familiaritatis & officii, quam Domestici seu familiares principum, puta, Cancellarii consiliarii, aliiq; aulici ratione ac respectu officii, etiamsi nulla ab iisdem feuda recognoscant, Dominis suis jurare ac præstare coguntur, quæ vulgato nomine Rahts- oder Dienstpflicht/& generaliori Amptespflicht indigitatur. *Schneidw. Ep. f. p. 5. c. 1. n. 63. Dn. Vult. c. 6. n. 6. Rosenth. c. 6. concl. 85. n. 11.*

LX. Alteram fidelitatis speciem vocant subjectionis, quæ aliàs sæpius homagium appellatur, germanis die Huldigung

 oder

oder Erb- vnd Landeshuldigungspflicht/ quam subditi magistratui suo jurant, nempe se ratione subjectionis fideles obedientesq; Domino suo futuros, daß sie jhrem Herrn getrew vnd gehorsam seyn wollen/ wie christlichen vnd auffrichtigen Vnterthanen gebühret. *Rosenth. c. 6. concl. 85. n. 7. Dn. Vult. c. 6. n. 5.*

LXI. Tertia fidelitatis species dicitur Vasallagii, nostris die Lehnspflicht/ de qua propriè hic nobis est sermo, quæq; nihil est aliud, quàm illud ipsum, quod in forma fidelitatis Vasallo observandum præstandumq; præscribitur, & proponitur generalius quidem *in c. un. qualiter jurare debeat Vasal. 2. F. 5.* specialius verò *in c. un. de Nova forma fidel. 2. F. 7.* atq; ista fidelitas velut ipsa essentia & feudi forma specificatione directè nec indirectè salvo jure feudi remitti potest. *per cap. un. § fin. per quos fiat investit. 2. F. 3. c. un. qual. jurare deb. Vas. fid. cum duob. seqq. c. un. §. 1. in fin. quæ fuerit prima causa benef. amit. 2. F. 24. Rosenth. c. 2 concl. 66. n. 3. & c. 10. concl. 34. n. 60. Dn. Vult. c. 6. n. 10. & c. 7. n. 55. Sonsbek part. 2. n. 34.*

LXII. Fidelitatem hanc Vasalli ut plurimum sub juramento promittunt, ad cujus præstationem regulariter tenentur omnes absq; ullo discrimine aut respectu vel sexus ætatis, aut dignitatis, adeoq; tam fœminæ quàm masculi, *per c. un. in fin. per quos fiat investitura. 2. F. 3. cum duob. seqq. juncta l. 1. l. 196. ff. de V. S l. 7. § 1. ff. de jurisdictione. l. 62. in fin. ff. de legat. 3. l. 26. in pr. ff. de jurejurando. l. 3. §. 1. ff. de negot. gest. Schrader. p. 6. c. 4. n. 8.* Ita etiam puberes dummodo annum compleverint 14. *d. l. 26. ff. de jurejurando. c. imperialem. vers. præterea si quis infeudatus. de prohib. feudi alien. per Frid. 2. F. 55. c. 1. §. si minori. & §. si quis decesserit. si de feudo def. cont. sit in 1. 2. F. 26.* sic quoq; superior, qui ab inferiore feudum recognoscit, jurare fidelitatem hanc tenetur, quod tamen per substitutum ut plurimum facere solet, *Schrader. p. 4. c. 3. n. 10. 11. Niell. disp. 2. th. 6. lit. G.*

LXIII. Atq; adeo omnes omninò fidelitatem jurare tenentur, nisi vel iisdem remittatur juramenti præstatio, *per cap. un. in fin. per quos fiat investitura. 2. F. 3. c. un. §. 1. in fin. quæ fuit prim. caus. benef. amitt. 2. F. 24. c. un. de fidel. 2. F. 76.* vel consuetudine aut statutis contrarium fuerit introductum.

LXIV. Fi-

LXIV. Fidelitatis verò nomine quid propriè veniat, seu quæ partes illius ac munia, diximus quidem suprà specialiùs nonnihil *in c. un. de Nov. ferm. fidel. 2. F. 7.* esse expressum; verùm cùm feudorum omnium una eademq; non sit conditio, & qualitas, ac proinde in exigenda fidelitatis promissione quælibet fermè curia seu regio peculiares sibi habeat & observet formulas, adeo, ut modò plura & majora, modò pauciora & minora sub fidelitate exigantur contenta, illud ipsum certis ac determinatis quibusdam capitibus, talibus quidem, quæ in genere omni fidelitatis promissioni correspondeant, includi ac circumscribi vix posse videtur. Potiora tamen, & quæ ex communi Germaniæ consuetudine vasalli jurantes promittunt, sunt *Fides, Officia seu servitia & Amor*, quæ nostrates per verba getrew / gewertich vnd hold vertunt, quibus nos adjungimus obsequium seu reverentiam & honorem propter *c. un. 2. F. 22. & c. un. 2. F. 23. Gothofr. Anton. disp. 7. th. 2. videatur quoq; Gail de Arrest. c. 7. n. 10. 11. Rosenthal. c. 6. concl. 85. n. 7. Rittershus. part. feud. lib. 1. c. 10. q. 4. & lib. 2. c. 1. q. 5.*

LXV. Tenetur itaq; vasallus, ut ὕστερον πρότερον agamus, seniori seu Domino suo præstare obsequium, hoc est, quæ ad augendum ejusdem honorem fecerint, nullo modo omittere, nec quidquam committere, quo dignitas vel existimatio ejus lædatur aut minuatur. *c. un. de milit. vasall. 2. F. 22. c. un. in quib. caus. feud. amittatur. 2. F. 23.* siquidem honesta semper & sancta Domini persona ipsi esse debet. *arg. l. 9. ff. de obseq. parent. & patron præstand.*

LXVI. Unde, cùm quæritur, utrum salva reverentia Domino debita vasallus eundem in jus vocare possit? quotquot etiam sint qui affirment, nos negantium partes sequimur: generaliter enim JCtus Modestinus, *Eas inquit, personas, quibus reverentia præstanda est, sine jussu Prætoris in jus vocare non possumus. l. generaliter. 13. ff. de in jus vocando.* Tota itaq; via errabunt, qui contrarium statuerint; siquidem non habent rationem publicæ honestatis, ut censet *Oldendorp. class. 1. act. 4. quæst. 4. n. 5.* cui adstipulatur. *VVesembec. parat. ff. de in jus vocando. n. 6. vid. Rittershus. lib. 2. c. 1. quæst. 14. & 15.*

LXVII. Cui consequens hoc quoque, quod Vasallus contra Dominum actionem famosam instituere, vel interdicto, unde vi ex-

periri non possit. Difficulter enim illi ipsi quibus cum hoc interdicto experimur, infamiæ quandam notam effugiunt, ob atrocitatem nempè facinoris, quod interdictum hoc in se habet. *l. Prator. ait. 1. §. interdictum hoc 43. ff. de vi & vi arm.* adeoq; quod jura de liberto quoad hoc interdictum statuerunt, rectè ob rationis paritatem ad vasallum producere nos posse arbitramur per modo dictam. *l. & l. honori. §. interdictum quoq; ff. de obseq. parentib. & patron. præstand. Schrad. tr. f. p. 6. c. 6. n. 101.*

LXVIII. Similiter Vasallus cum Domino suo in judicio contendens juramentum calumniæ ab eodem exigere non potest. *c. un. de consuetud. feudi recti. vers. in quibus causis. 2. F. 33. Obrecht. in tract. de juram. calumniæ. c. 8. n. 18.* Quod ipsum versa vice Dominum quoq; non posse à vasallo exigere feudista asserit, addita ratione, quoniam, quod juris quisq; in alium statuerit, eodem ipse uti necessum habeat: Qua tamen non obstante nos secuti hac in parte. *Donell. 24. comment. 21. n. 2.* Dominum à vasallo juramentum hocce impune exigere posse statuimus. *per l. in omnibus 68. ff. de R. J.* quam sententiam camera quoq; imperialis observat. *Rutger. Rulant. de commissar. & comm: ß. &c. part 1. lib. 2. c. 14. n. 12.*

LXIX. Tandem ob idem honoris & reverentiæ debitum vasallo testimonii quoq; dictione contra Dominum interdicimus cum feudista. *c. un. de consuetudine feudi recti. vers. similiter. 2. F. 33.* Et quidem in causa criminali, qua agitur de capite seu existimatione Domini, indistinctè; in causa verò civili tantum modica, non item si majoris cujusdam præjudicii esset causa, cujus rei ratio hæc assignari posse videtur, quod major animi levitas appareat in eo, majusq; delictum committi videatur ab eo, qui in re seu causa levi reverentiam Domini, testimonium contra eum dicendo lædit, quam qui in causa ardua seu gravi. *vid. Schneidew. Ep. feud. p. 8. c. 12. n. 25. Rittershus. partit. feud. lib. 2. c. 1. quæst. 10. 11. Rosenth. c. 10. concl. 23. n. 25. & seqq.*

LXX. Sunt,

LXX. Sunt, qui honorem hunc & reverentiam feudo etiam per refutationem vel quem alium à lege huic rei destinatum modum extincto à vasallo exigunt, ob pristinæ scilicet amicitiæ, fidelitatis jurisq; jurandi memoriam ac religionem, cujus reliquiæ durare videntur. Quem tamen non amplius quam ad non offendendum nos teneri arbitramur. *per c. un. de vasallo, qui contra const. Loth. 2. F. 38. Rittershus. lib. 2. c. 1. quæst. 16.*

LXXI. Deinde debet quoq; vasallus ratione fidelitatis omnibus tam corporis quam animi viribus Domino suo periclitanti opem ferre, non minùs pacis quàm belli tempore, sive bellum sit offensivum, sive defensivum, & quidem contra omnes, exceptis tamen, quos lex vel Naturæ vel Feudalis à prædicta regula excipit. *c. un. de nov. form. fidel. vers. Cajo Domino meo. 2. F. 7. c. un. Hic finitur lex. vers. contra omnes. 2. F. 28. Rosenthal. c. 8. conclus. 19. Gothofr. Anton. Disp. feud. 7. th. 6.*

LXXII. Et si quidem servitia certa ac determinata in investituræ formula expressa sint, ita ut vasallus uno duobus, aut pluribus equis Domino servire teneatur, **daß er das Lehen mit einem zwey oder mehr Pferden bediene.** Tunc præter illa ad nulla alia servitia est obligatus. *Schrader. p. 6. c. 6. n. 4.* Quod si verò indeterminata vel non expressa sint, eo casu cum cæteris ejus regionis vasallis eodem jure censebitur, & quæ illi, ea ipse quoq, servitia (pro feudi tamen qualitate mensurata) præstare tenebitur. *Gothofr. Anton. Disp. feud. 7. th. 2. Schrader. d. loco. n. 5.*

LXXIII. Ad hanc verò servitiorum præstationem, siquidem id feudi exigat natura seu qualitas, regulariter quilibet tenetur vasallus, quotiescunq; fuerit requisitus. *c. un. de nov. form. fid. 2 F. 7. c. un. Hic finitur lex. vers. ad hoc, 2. F. 28. c. un an ille qui interfecit. 2. F. 37. vers. non cogitur.* Nisi forte immunitate quadam gaudeat, aut justam ob causam excusetur, puta ob ingravescentem ætatem, adversam valetudinem, aut alias, de quibus *vid. Gothofr. Anton. Disp. feud. 7. th. 7.* Qualis si subsit causa, per substitutum Domino æquè acceptabilem servitia exhibere ipsi concessum est.

c. un.

c. un. de capit. Corrad. in pr. verf. fimiliter. 2. F. 40. c. un. de Allodi. 2. F. 54. & c. imperialem. §. firmiter. de prohibita feudi al. per Frid. 2. F. 55. Vult. lib. 1. de feud. c. 10. n. 24. Rofenthal. c. 8. concl. 24.

LXXIV. Quod fi vafallus unus à pluribus ac diverfis feuda diverfa recognofcat, ipfiq; Domini inter fe bella moveant; ipfe in perfona antiquiori, fi de eo certò conftet, fervitia exhibebit contra Dominum vel Dominos pofteriores. *c. imperialem, §. illud quoq; & ibi Schenck Baro. n. 3. de prohibita feudi alienat. per Frid. 2. F. 55. Rofenth. c. 8. concl 15.*

LXXV. Sed an etiam pofterioribus Dominis vel tributum conferre, vel per fubftitutum fervire tali cafu poffit ac debeat? funt qui affirmant, quoniam vafallus hoc cafu auxilium contra antiquiorem præftare non videatur, licet pofteriorem per fubftitutum vel tributi collationem juvet, fiquidem hoc non nocendi animo, fed fibi faltem confulendi caufa faciat, ne fcilicet pofterius feudum amittat. *per l. 1. §. denique. ff. de aqua pluvia arcenda. l. atqui. §. cum me abfente. ff de negot. geft.* Verum enimverò, cùm vafallus non tantum, qui ipfe, verùm etiam qui per alium contra Dominum quid facit aut committit, eundem lædere dicatur, & verò Dominum antiquiorem in omni juramento fidelitatis exceptum jura feudalia exprefsè velint. *c. imperialem. §. illud quoq. de prohib. feud. alien. per Frid. 2. F. 55. c. un. §. contra omnes. Hic finitur lex 2. F. 28.* Nos vafallum vel ad fervitiorum exhibitionem vel tributi collationem pofterioribus Dominis non tantum non teneri, fed ne quidem, licet velit, id fine feudi prioris amiffione poffe arbitramur, *Rofenth. c. 8. concl. 16. n. 2. 4. 5. & feqq. Schrad. p. 6. c. 6. n. 20. verf. fecundo verò cafu.*

LXXVI Atq; hæc fervitia belli exhibet tempore. Pacis autem tempore Dominum etiam alio quocunq; modo periclitantem vafallus tenetur juvare, inq; omni neceffitatis cafu eidem confilium & auxilium fuum præftare, indeq; etiam alimenta egenti Domino, pro modo tamen facultatum, fupeditare: Cum enim incolumitas Domini, ad quam confervandam religionis vinculo fefe adftrinxit, absq; neceffariis vitæ victusq; fubfidiis confiftere nequeat, & alimenta qui denegat, necare dicatur. *l. necare, 4. ff. de*

agnofcend.

agnoscend. & alend. liber. ad eorundem quoq; præstationem jure merito tenebitur Vasallus; idque eò magis, quod libertum ad subministranda alimenta non tantum patrono, verùm ejus quoq; liberis teneri constet *l. si quis. 5. §. solent. 18. & l. alimenta 6. §. 1. juncta l. fin ff. de agnosc. & alend. liberis Rittershus. lib. 2. c. 1. quæst. 40.*

LXXVII. Vasallus quoque Dominum ob causam æris alieni captivum quo potuerit modo, liberare debet; licet enim vulgò distinguant inter captivitatem apud hostem, & illam qua ob æs alienum quis detinetur, & de illa omninò statuant, quod sub periculo amissionis feudi lytron pro Domino exsolvere eumque redimere teneatur, si Domini ipsius bona eidem exsolvendo non sufficiant, diversum verò circa alteram captivitatis speciem asserant; Tamen, cùm texus in sæpè citato *cap. un. quæ fuit prima caus. benefic. amit. 2. F 24. vers. vel si cognoverit* generalis sit, meritò nos verbis ejusdem inhæremus, nec distinctionem invito legislatore iisdem adfingimus, idq; adjuti textu *in nov. tit. 1. aliud quoq. 3. §. si quemlibet. 8.* ex qua textus noster feudalis est depromtus. *Rittershus. lib. 2. c. 1. quæst. 42.*

LXXVIII. Et hæc potiora sunt, quæ Domino suo Vasallus præstare tenetur; quæ verò econverso Dominus debeat Vasallo, generalius quidem feudista *in c. un. de forma fidel. 2. F. 6.* Dominus, inquit, in his omnibus vicem fideli suo reddere debet. Sed ista tamen obligatio adeò non est reciproca, ut Dominus vicissim Vasallo suo ad reverentiam eà adstringatur: Quin potiùs omnia, quæ Vasallus intuitu reverentiæ Domino debitæ facere prohibetur, ea Domino adversus Vasallum permissa esse rectè intelliguntur. *Schrader. tr. feud. part. 6. c. 17. n. 14. Rittershus. lib. 2. c. 1. quæst. 13.*

LXXIX. Hactenus de feudi constituti forma, restat ut videamus, quomodo forma illa in subjectum suum, hoc est, feudum constituendum introducatur: Talem modum unicum tantum agnoscimus, Investituram, sic dictam ab investiendo, quæ alibi *Cap. 4. de feudi constituendi modo.*

actu memoriæ causa conscriptas, den Lehenbrieff. *c. un. de notis feudor. 2. F. 58. vers. idem o.* modò & quidem propriè ipsum investiendi actum denotat, germanis die belehnung / quem sic describi posse arbitramur, quod sit solennis feudi cessio. *Vid. Schöner. lib. 2. disp. feud. 5. th. 14. Obrecht. disp. feud. 8. c. 8. th. 7.*

LXXX. Dividitur Investitura vulgò in propriam & abusivam. *c. un. quid sit investit. 2. F. 2.* quarum illa inductione in vacuam ipsius rei possessionem perficitur; hæc symboli cujusdam rem in feudum concedendam repræsentantis traditione expeditur. *d. c. un. quid sit investitura. VVesembec. de feud. c. 8. n. 11. Rosenthal. c. 6. concl. 1. n. 2. & 4. Schrad. part. 5. c. 2. n. 1. Schneidvv. Ep. feud. part. 4. n. 3. Rittershus. partit. feud. lib. 1. c. 8. quæst. 3. Gothofr. Ant. disp. f. 4. th. 3.*

LXXXI. Utraque investitura tàm abusiva quàm propria fit aut de feudo novo, id quod nondum est, constituendo, vel de feudo veteri, id, quod jam est, renovando, & in succedentis persona confirmando. *c. un. per quos fiat investitura. 2. F. 3.* Investituram novam dicimus, quando feudum primo quæritur. *c. un. qui testes sunt necessarii. 2. F. 32. vers. novam.* Ejus in præsenti nobis consideranda venit forma, quæ est vel substantialis vel accidentalis.

LXXXII. Substantialis investituræ forma duobus hisce continetur, 1. Verbali feudi cessione, puta, ut Dominus vel ejus nomine procurator ad id constitutus dicat, Ego te investio, de hoc vel illo prædio, fundo, castro, &c. ut illud in feudum habeas. *c. un. quid sit investitura. VVesemb. comment. in usu feud. c. 8. ibi solemne autem est. &c. n. 10.* 2. Investituræ testificatione; quæ est solennitas adhibendi investituræ negotio vel testes vel instrumentum, probandæ investituræ causa observanda. *c. un. quid sit investitura. ibi quæ siquidem. 2. F. 2. c. un. qui testes sunt necessarii. 2. F. 32. c. un. de feud. Guardiæ & Castald. 1. F. 2. c. un. si de investit. feud. controv. fuerit. ibi. & si investit, & §. item si Vasallus. ibi vel probare per pares curtis, vel per breve testatum. 1. F. 4.*

LXXXIII. Duæ itaq; testificationis sunt species; testium nempe adhibitio, & Instrumenti confectio. Testes investituræ negotio adhibendos quod attinet, eorum consideranda est Qualitas, deinde numerus.

LXXXIV.

LXXXIV. Qualitas illa in tribus videtur consistere, 1. Ut testes sint homines liberi non servi. *c. un. de notis feudor. ibi aliequi adhibeat. 2. F. 58.* 2. Ut sint masculi, non fœminæ, *c. un. qui testes sunt necessarii; §. ult. 2. F. 32.* 3. Ut sint regulariter pares curiæ, non extranei, *per text. ib. praeced. allegatum*, adeò, ut testes alii adhibiti, inutilem reddant investituræ actum, etiamsi ipsemet Dominus fateatur factam esse investituram. *c. un. quid sit Investitura. Schneidvv. Ep. f. p. 4. n. 12.*

LXXXV. Et hæc parium adhibitio regulariter quoque necessariam est in feudis clericorum, si videlicet de bonis propriis quis aliquem investiat, *c. un. qui testes sunt necessarii, in pr. 2. F. 32.* Si verò de bonis Ecclesiæ investituram fecerit clericus, hæc ipsi remissa videtur solennitas, *c. un. si de investitura inter Dom. & Vas. lis oriatur. 1. F. 26. ibi in clericorum feudo. Sonsbeck p. 9. n. 19. VVesembec c. 8. n. 14. Dn. Vult. lib. 1. c. 7. n. 28.*

LXXXVI. Porrò si investitionis tempore absentes fuerint pares curiæ, citandi, aliquantoq; temporis spatio sunt expectandi, quod quia jure determinatum non est, Judicis, ut alia ejusmodi, arbitrio relinquimus definiendum, cum *Schrader. tr. f. p. 5. c. 2. n. 7.* Citati verò si venire recusaverint, pœnali judicio ad veniendum cogendi sunt, *arg. l. un. ff. si quis jus dicenti non obtemperaverit. c. un. quid sit investitura. §. si enim Domino. ibi Domino cogente. 2. F. 2. & ibid. Schenck Baro n. 6. vid. Dn. Vult. lib. 1. c. 7. n. 27.* Quibus tamen excusationem præstat longa itinerum intercapedo, & poterit hoc casu Dominus, ne ob alterius absentiam suo beneficio servitiorum debitorem sibi quærendi elabatur occasio, extraneos non prohibitos impunè adhibere. *Obrecht. d. disp. 8. th. 125.*

LXXXVII. Quod si investituræ negotio extranei testes interfuerint, qui omnium opinione pro paribus sint habiti; quamvis prima facie irrita videri possit ista investitura, siquidem substantialis solennitatis (qualis hîc parium curiæ adhibitio, *d. c. un. qui te-*

tinere, *arg. §. sed cum aliquis. 7. J. de testam. ordin. l. Barbarius. 3. ff. de officio Praesidis.*

LXXXVIII. Numerum testium quod attinet, minimum duos adhiberi necessum est, & quidem, ut supra quoque monuimus, regulariter pares curiae, quibus vel omninò non, vel in habilibus existentibus totidem extraneos interfuisse sufficiet, modò explorataе sint fidei spectataeq; autoritatis, quibus meliores reperiri non potuissent. *c. un. §. quod autem. de notis Feudor. 2. F. 58. c. un. §. si verò. quid sit investitura. 2. F. 2. Gothofr. Anton. disp. feud. 4. th. 6. lit. b.*

LXXXIX. Altera testificationis species Instrumentum est, aliàs breve testatum saepius dictum, continens Investiturae negotium, testium subscriptione munitum. quod instrumentum publicum appellatur. *c. un. quid sit invest.* Testes verò illi pares curiae, si Dominus habeat, si non, etiam extranei esse possunt, ubi tamen potissimum loci vel regionis consuetudo suum robur obtinet.

XC. Et hactenus de substantiali investiturae forma à jure feudali eidem tributa, superest Accidentalis, quae pactis & conventionibus contrahentium eidem dari consuevit. Possunt autem ut aliis Juris Civilis contractibus ita huic quoque investiturae negotio pacta apponi varia, quae nisi substantiae feudorum repugnent, aut aliàs bonis adversentur moribus, vel impossibilia sint jure aut natura, firmiter ab utraq; parte sunt servanda: Talia verò, prout descripta quaedam modò fuere, si investiturae negotio adponantur, cum per se nulla sint, nullam quoque reddunt investituram. *arg. l. Jurisgentium. 7. §. ait praetor. 7. ff. de pactis. l. contra. 28. in pr. ff. eod. l. filius 15. ff. de condit. omib. instit. l. pacta. C. de pactis. Rittershus. lib. 1. c. 9. quaest. 6. & seq.*

XCI. Potest itaq; Investitura fieri vel purè, vel in diem, vel sub conditione, *c. un. de feudo Guard. & Castald. 1. F. 2. c. un. qui successores teneantur. 1. F. 3. c. un. de Clerico qui investituram facit. 2. F. 35. Rosenth. c. 6. concl. 23. Dn. Vult. c. 7. n. 44.* Non tamen sub conditione impossibili, quae, ut thesi praecedenti quoq; innuimus, investiturae actum omninò reddit nullum. *Vult. d. c. 7. n. 45.*

XCII. Inter conditiones autem impossibiles nos illam, quae concipitur in casum mortis Vasalli possessoris, quamvis Jure civili

ut

ut bonis adversa moribus ob votum scilicet captandæ mortis alterius, quod in se continere videtur, improbata sit, non referimus, moti *c. un. si de feudo def. content. sit inter Dom. & agn. Vasall. §. moribus. 2. F. 26. Schöner lib. 1. disp. feud. 5. th. 43.* Hujus autem conclusionis an & quæ veræ sint DD. rationes, plenius in cursu disputationis videbimus. Interim videatur *Dn Vult. lib. 1. c. 7. n. 48. Schenck Bar. in c. un. §. moribus. 2. F. 26. Hartmann Pistor. lib. 2. quæst. 25. n. 2. & seqq. Gail. lib. 2. observ 155.*

XCIII. Quemadmodum jam conditionem hanc jure feudali licitam & permissam esse certum est, ita plures quoque circa eandem moveri quæstiones non usque quaque expeditas, indubium; veluti quando quæritur, Si Vasallus, in cujus mortis casum sine liberis alius quispiam jam est investitus, post investitionem illam liberos procreet, Utrum hoc casu investitura illa expiret & evanescat? Ubi nos investituræ tenorem cumprimis inspiciendum arbitramur, ex quo haud dubiè controversiæ nodus dissolvetur: si enim simpliciter in casum mortis Vasalli quis sit investitus sub conditione, si sine liberis decesserit, equidem investitura propter liberorum supervenientiam non statim infirmabitur, siquidem adhuc in suspenso, seu incertum est, an non sine liberis Vasallus sit moriturus; Conditio itaque, quæ mortis Vasalli tempus respicit, & ex eo demum certitudinem suam consequitur, ante illud defecisse dici non potest; adeoq; post illud aut existit aut deficit: Existit, si nimirum feudi capaces successores Vasallus non reliquerit, & tunc quoque propter existentem conditionem investitus Jus suum consequitur. Deficit verò, si reliquerit, cujus postmodum defectum Investituræ quoque sequitur nullitas. *vid. Dn. Vult. c. 7. n. 50. Hartmann. Pistor. d. quæst. 25. n. 16. & 17. Schöner disp. feud. 5. th. 57.*

XCIV. An verò, si prædicto modo investitus vasallum possessorem morte præveniat seu antevertat, investitura ita

spem illam ad defuncti hæredes omninò esse transitoriam, *propter l. veteris & l. fin. C. de contrah. & committ. stipulat. Gothofr. Ant. disp. f. 4. th. 5. in fin. Hartm. Pist. d. quæst. 25. n. 28.*

LXXXXV. Præterea si feudum, de quo in casum mortis vasalli facta fuit investitura, antequam hæc impleatur conditio, fortè ob non petitam investituram vel qua alia causa Domino aperiatur, quid juris sit, an videlicet feudum nihilominus investito vel ejus heredibus debeatur, vulgò disceptatur, requirentibus aliis, ut conditio in forma specifica impleatur, *per l. Mævius. ff. de condit. & demonstrat:* Aliis & cum glossa quidem mortis casu, in quem investitura facta est, alium quemcunq; excludi existimantibus. Quibus tamen non attentis nos feudum investito nihilominus deberi putamus *propter l. in jure civili. 61. ff. de R. J. l. jure civili ff. de condit. & demonstrat. c. cum non stat. de R. J. in 6. Rosenth. c. 6 concl. 19. n. 4. & 8. Dn. Vult. d. c. 7. n. 52. Gothofr. Ant. disp. feud. 4. th. 5. sub lit. d.*

LXXXXVI. Sed quid, si vasallus quidem sine liberis decedat, uxorem tamen relinquat prægnantem, dicemus? Nos, cum jure receptum sit, ut is, qui in utero est, quando de ejus commodo quæritur, pro nato habeatur, & tamen incertum sit, an feudi capax sit nasciturus, partus tempus hoc casu putamus expectandum, ante quod conditio nec defecisse nec extitisse verè dici potest. *v. d. Vult. c. 7. n. 53.*

LXXXXVII. Et huc usq; de investitura nova, qua primo beneficium acquiritur; succedit investitura vetus, quæ fit de beneficio veteri & jam ante acquisito, & quidem à Domini successore, vel vasallo successori, describente feudista *in c. un. qui testes sunt necessarii. 2. F. 32.* Et dicitur alio nomine investituræ renovatio, cujus petendæ necessitas toties vasallo incumbit, quoties casus inciderit, quo ex conventione vel consuetudine peti debet: Et quidem ex consuetudine generali, personâ Domini vel vasalli mutatâ. *c. un. Quo tempore miles invest. pet. deb. 1. F. 22.* Speciali verò etiam alio tempore. *per l. in stipulationib. 34. ff. de R. J. l. si de interpretatione 37. ff. de LL. Gothofred. Ant. disp. feud. 8. th. 2. lit. e.*

LXXXXVIII. Tempus, intra quod petenda est investituræ renovatio jure feudali, anno & die circumscribitur, *c. un. quæ fuit*

prima

prima causa benefic. amittendi. 2. F. 24. illudq; tempus sub amissionis periculo præcisè est observandum. *per modò allegata duo capitula. & c. un. de capit. Corradi. 2. F. 40. §. ult. Rosenth. c. 6. concl. 30. in pr. Schrader part. 9. c. 1. n. 2. & p. 6. c. 1. n. 2. Dn. Vult. c. 7. n. 61. & 63.*

LXXXXIX. Sunt tamen, quæ à non petita intra dictum tempus investituræ renovatione vasallum excusare possunt, causæ perplures, veluti absentia Domini vel vasalli necessaria, inimicitiæ capitales inter utrumque; infantia utriusq; &c: de quibus & aliis videre licet. *Gothofr. Ant. disp. 8. th. 4. 5.* & copiosius agendum erit in Disp. 4.

C. Forma interna & substantialis investituræ veteris discrepat in eo à forma investituræ novæ, quod in hac regulariter requirantur pares curiæ, qui testimonium rei gestæ perhibeant; in illa promiscuè pares & extranei admittuntur. *c. un. qui testes sunt necessarii. 2. F. 32.*

CI. Accidentali verò forma conveniunt. Cùm enim investitura hæc sit renovatio quædam prioris, adeoq; nihil novi tribuat, sed id quod invenit, firmet ac foveat, meritò eadem forma, iisdemque pactis fieri debet, quibus prima investitura facta fuit. *Gothofr. Ant. disp. feud. 8. th. 9.*

CII. Est & alia non ignobilis investituræ distributio in singularem & simultaneam, à particula simul formato nomine sic dictam, quod duobus vel pluribus vasallis simul sit facta, sive quod plures eadem comprehendantur: Dicitur etiam aliàs conjuncta manus, nostris gesampter Handbelehnung / cujus effectus potissimum cernitur in successionibus. *Rittershus. partit. feud. lib. 1. c. 9. quæst. 29. Hartman. Pistor. quæst. jur. lib. 2. p. 2. quæst. 20. & 21. plene.*

CIII. Atq; hæc hactenus de investitura vera, sequitur præsumpta, quæ resultat ex lapsu temporis longissimi. Si quis enim per

feudista. 1. Possessionem 30. annis continuatam. 2. Ut res tanquam feudum sit possessa 3. Ut possessor eo nomine interpellatus servitia Domino exhibuerit. d. §. An verò in bonis Ecclesiæ vel Reipub. feudum tot annorum spatio queat præscribi, controversum est? Nobis affirmativa utpote expresso & jam citato textu subnixa arridet. Et tantum de copiosissima ac fertilissima Constitutionis feudi materia impræsentiarum posuisse sufficiat.

D. O. M. SIT GLORIA.

